



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Metrica Paraphrasis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

VITAE magistra si sapientia
 Consultus audis, atque animi potens,
 E mentis excelsa theatro
 Despicias innumeros tumultus,
 Dum fors probrorum turba salutor
 Famam caninis dentibus atterit,
 Ne lubrica dicacitatis
 Aure bibas avida susurros.
 Nec, si probrum deprenderis impotis
 Lingua, furores indue. Quis, precor,
 Rumusculos fame procacis
 Horrifico tonitru expiabit?
 An, si iocoso te sale quispiam aut
 Mordaci aceto defricuit, facies
 Ensesque spirabis, nouamque
 Materiem tragicis cothurnis?
 Latrante pugnax stat somipes cane
 Immotus, acres nec tumidus leo
 Obliquat adspectus, frementes
 Dum rabiem geminant catelli.
 Excelsa virtus vilia despicit,
 Iraque viles degenerem probant,
 Timorque, suspicaxque cura
 Immeritis furiosa poenis.
 Ah! ne susurris te male credulum
 Iraque cecum hac dedecorent probra:
 Ne veruulas forsitan frementes
 In domini caput impotentis
 Famamque crebris ictibus audias
 Diuerberantes. Namque quid attinet

Flammâque & vlticî macharâ
 Tam faciles abolere culpas,
 Quarum sub imo corde domestici
 Te mille testes constituunt reum?
 Quam proprio indulges pudori,
 Cur aliis veniam negabis?

PROSA EXEGESIS.

DVPLICEM ex his Ecclesiastæ verbis cum Lorino ^{Vide Lorinum hoc loco.} sensum eruere posse videor. *Cunctis sermionibus, qui dicuntur, ne accomodes cor tuum,* nimirum non esse curiosè disquirendum sapienti quid de se quisque sentiat aut loquatur: deinde, si vltro conuitia aut maledicta ad aures eius accidant, non esse illis toto pectore incumbendum, non esse acerbiùs illa ferenda, aut grauiore vindictâ persequenda. Nam & nimia curiositas, præfertim circa domesticos, in eorum fortasse cognitionem eum adducet quæ meliùs nesciret; & nimia in leues culpas animaduersio eum velut naturæ communis suæque fragilitatis oblitum, inhumanitatis accusabit.

Indignum prorsus est constantiâ sapientis, maledictiæ rumusculos auidiùs captare, & internos animi tumultus vltro accersere, cum testimonio conscientia suæ securo lætoque esse liceat. Quid enim attinet singulorum voces aucupari, obseruare nutus, ipsius denique cordis sensa rimari? Non expedit, inquit Seneca, ^{Curiosè rumusculos de se captare, quicquid animi perturbat.} omnia videre, omnia audire: multa nos iniuriæ transeant, ex quibus plerasque non accipit, qui nescit. Non vis esse iracundus? ne sis curiosus. Qui inquit quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habitati sint, eruit, ipse se inquietat. ^{Sen. lib. 3. de Ira, c. 11.} Magis autem,